

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Programma, Qvo Rector Academiae Gryphiswaldensis,
Eberhardus Barnstorff/ Medicinae Doct. & Profess.Ord.,
Facultatis Suae Senior & h.t. Decanus, nec non Civitatis
Physicus, De Festo Pentecostes Veteris & ...**


Barnstorff, Eberhard

Gryphiswaldiae, [MDCCVIII?]

VD18 13251260

Farbkarte

urn:nbn:de:gbv:45:1-17353



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan





Illuxit iterum per DEI gratiam Sanctissimi Pentecostes Festum, quod in memoriam solennis effusionis Spiritus S. in Apostolos primo hujus Festi die post CHRISTI ascensionem factæ feriamur. Quemadmodum enim CHRISTUS jam ante passionem suam discipulis suis Spiritum S. post discessum suum ad Patrem aliquoties promiserat, utpote Joh. XIV. 16. 17. *Et ego rogabo Patrem, ut alium Paracletum det vobis, ut maneat vobiscum in aeternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quoniam non videt illum, neque cognoscit illum. Vos autem cognoscitis illum, quia apud vos manet & in vobis erit. Cap. xv. 26.* Quando vero venerit PARACLETUS, quem ego missurus sum vobis à Patre Spiritus Veritatis, qui ex Patre exit, ille testabitur de me. Cap. XVI. 7. Verum ego veritatem vobis dico: Prodest vobis, ut ego abeam; Si enim non abirem, PARACLETUS non veniret ad vos: Si vero abivero, mittam illum ad vos: Ita quod promisit, idem hoc ipso Festo præstitit. Neque tamen super solos Apostolos & Discipulos, sed etiam super alios fideles, qui Hierosolymis congregati erant, Spiritus S. solenniter effusus est. Quemadmodum nos docet Lucas Actor. II. 1. seqq. & in Veteri jam Testamento speciatim apud Prophetam Joël. II. 28. seqq. prædictum erat. *Fiet etiam postea: Effundam Spiritum meum super omnem carnem, ita ut prophetent filii vestri & filie vestrae: Senes vestri somnia somnient: Juvenes vestri visiones videant: Etiamque super servos & super ancillas, in diebus illis effundam Spiritum meum.* Unde Apostolus Petrus, demonstraturus, non mero, ut irridentes dicebant, sed Spiritu Sancto fideles impletos, variis linguis loqui, ad hoc Joëlis vaticinium provocat: *Sed hoc est, inquam, quod dictum est per Prophetam Joël.* Etsi autem non amplius immediate, visibiliter & solenniter Spiritus S. super